

PROGRAMM



DES

K. K. STAATS-GYMNASIUMS

IN

C I L L I.

HERAUSGEgeben

AM SCHLUSSE DES SCHUL-JAHRES 1882


von

D^R F. Z. SVOBODA,
K. K. GYMNASIAL-DIREKTOR.

C I L L I.

BUCHDRUCKEREI VON JOHANN RAKUSCH.

1882.



PROGRAMM

DES

K. K. STAATS - GYMNASIUMS

IN

C I L L I.

HERAUSGEGEBEN

AM SCHLUSSE DES SCHUL-JAHRES 1882

von

D^R F. Z. SVOBODA,

k. k. Gymnasial-Direktor.

C I L L I.

BUCHDRUCKEREI VON JOHANN RAKUSCH.

1882.

INHALT.

Quatenus Carminum Buranorum auctores veterum Romanorum poetas imitati sint. Von A. Heinrich.

Schulnachrichten. Vom Direktor.



Quatenus Carminum Buranorum auctores veterum Romanorum poetas imitati sint.

Quam medio aevo Romanorum antiqua lingua inmutata sit verborum cum novatione tum structura, quamque ad indolem et ingenium, vitam usumque illorum hominum accommodata exstiterit, quamvis in quolibet satis dilucide appareat huius aetatis scriptore, tamen non sine aliquo momento fuisse, quidquid in veterum libris illi cognoverant, veri non erit dissimile. In primis autem vagorum carmina non mediocribus veterum scriptorum studiis contineri et imbuta esse subtiliore antiquitatis cognitione neminem potuit fugere, licet leviter ea attigerit. Nam ut cetera omittamus, satis deorum nominibus, quae passim dispersa invenias, declaratur quanto opere vagorum animi veterum libris detenti sint. Itaque iam J. Grimm¹⁾ flosculos quosdam investigavit, quibus archipoeta carmina sua in Fridericum Caesarem eiusque archicancellarium scripta exornaverat. Itemque Mueldenner²⁾ ad decem Gualtheri de insula carmina, quae e codice Parisino edidit, locos quos ille respexisse videtur apposuit. Tamen de singulis rebus non inquisitum est quatenus illi poetae, veterum poemata ad imitandum sibi proposuerint. Sed quoniam omnia vagorum carmina, quae indicavit W. Wattenbach³⁾ non licuit excutere, elegimus Burana.^{3b)} Etenim cum alibi quoque non pauca ex iis ut Goliae confessio reperiuntur, tum maxime conspicua sunt orationis venustate et tanta rerum varietate, ut quaecumque a vagis tractabantur res, procacitates lascivitatesque, iocosa carmina et seria concertationumque plena, in quibus maxime se consueverat iactare illorum poesis, praestantissimis exemplis expressa reperiantur. — His praemissis iam ad rem ipsam adgrediamur.

Ac primum quidem, id quod iam Hubatsch aliique monuerunt, mirum quantum fabulae de diis gentilibus deabusque cum Christiano cultu mixtae atque adeo artissimo vinculo coniunctae sunt. Atque ad eam consuetudinem lectitandis studiose veterum poematis accesserunt scolares et clerici ut non solum dii heroesque passim respiciantur verum etiam ad eas res significandas

1) Gedichte des mittelalters auf König Friedrich I. den Staufen cet. in adnotat. (Kleinere Schriften III.)

2) Die zehn Gedichte des Walther von Lille, Hannover 1859.

3 a) Die anfänge lateinischer profaner rythmen des mittelalters in Haupt-Zeitschr. f. deutsches Altertum. Neue Folge III. 3 (1872) p. 469—506. 3 b) a Schmellero edita, in „Bibliothek des literarischen Vereines in Stuttgart“ tom. XVI.

adhibeantur in quibus maxime illorum numen positum esse credebatur. Quod sane reconditionis curae est. Id adeo ex ipsis exemplis cognosci licet: Legitur enim: Bacchus (p. 233), Lyaeus, Liber (p. 241) pro vino, Mars pro pugna (p. 31, 13, 6), similiter Paris pro quolibet heroe (p. 139), Tyndaris pro puella formosa (p. 122, 10, 4), Thetis pro aqua (p. 241), Philomena (nunquam Philomela) pro luscinia (p. 134), Venus pro amore (p. 219), pro pulchritudine (p. 242, 181, 4, 4), Proteus pro levitate ac mobilitate (p. 66, 6, 8) Phoebus pro poetica animi inflammatione, Plutus (p. 77) pro divitiis quaeque sunt alia id genus.⁴⁾ Sed haec leviora quia communis vulgarisque usus videtur et sermonis genus ne hodie quidem inusitatum; illud vero gravius, quod interdum poeta tamquam sacrorum christianorum plane expers, hominis vere gentilis speciem praebet. Cuius rei exempla pauca proferamus:

O si forte Jupiter hanc videat, Timeo, ne pariter incaleat (p. 149, 5); Quocumque more motu Volvuntur tempora, Eadem fretus eucrasi Pulso tympana. Seu Philogeus.⁵⁾ In imis moretur, Sive Lampas radians autumni copia ditetur, Ab uno semper numine Mihi salus debetur (p. 127, 39.); O si forem Mercurius Philologiae sedulus (p. 214, 14³); Jovis in solio Coramque superis Fuit iudicio concursu Veneris rosa rosario (sc. vino) Data prae ceteris Per dulzor (p. 242, 181); Imitemur superos! (p. 137, 48); Grates ago Veneri p. (135, 45); Felicitate Iovem supero p. 229, 167, 2); Juro Phoebum iuro Martem (p. 230, 168, 5); Sinon exoro superos, Altitonum cum Hercule Et Junonem cum Pallade Et Helenam cum Venere, Non prospere, Hanc me continget vincere (p. 192, 117).

Verum tamen quamquam haec ita se habent tantum abest ut quisquam horum carminum artifex Christianas leges addubitare audeat, ut etiam qui non observabant eas quorumque vita ab morum praeceptis recedebat acerbissime perstricti et castigati sint. Nec vero hanc rerum tam contrariarum coniunctionem inter se atque confusionem mirari possumus, cum ea consideramus quae postea in simili genere edidit Hans Sachs. Qui in quibusdam comoediis⁶⁾ lepidissima utitur veterum fabularum cum christiana ethice coniunctione. Sed iam haec missa faciamus ut in rem ipsam accuratius inquiramus.

Satis constat artius circumscriptum fuisse numerum eorum scriptorum qui potissimum ex Latinis duodecimo et tertio decimo saeculo lectitarentur.

4) Cf. Rhea pro terra (Wright, Early mysteries and other latin poems p. 113) et Titan pro sole (Du Méril, poesies populaires latines du moyen âge p. 229).

5) equus solis, cf. Fulgent. myth. I, 11. vide etiam K. Bartsch, Albrecht von Halberstadt und Ovid im Mittelalter p. LIV.

6) cf. Kampfgespräch zwischen Jupiter und Juno, vel eam comoediam, qua Pallas virtutem defendit, Venus voluptatem.

Erant autem iidem fere in populis ad occasum habitantibus, qui soli cultu humano civilique florebant. Neque enim per unam Germaniam aut Galliam aut Italiam superiorem illa clericorum studia celerabantur, verum etiam in Britannia frequentissime colebantur, quique poetae alibi iidem hic legabantur.⁷⁾ Documento autem ea carmina possunt esse, quae vulgo Walthero Mapio attribuebantur, quae Tom Wright in unum corpus redigit.⁸⁾

Unus omnium poetarum clarissimus et exemplar quasi poetae ducebatur Ovidius Naso. Cuius opera quam omnibus qui humanitatis studiis vacabant, in deliciis fuerint⁹⁾ ex iis quae de hac re fusius egit K. Bartsch¹⁰⁾ cognoscitur. Quid quod ei carmina sive ab ignotis hominibus sive a notis confecta adscribebantur, ex quibus unum, cuius Bernhardum Floriacensem auctorem fuisse constat,¹¹⁾ elegiacum dico de excidio Troiae: *Pergama flere volo Graecis fato data solo*, in Buranorum numero continetur (p. 60, CLII).

Sed antequam de iis locis dicimus, in quibus horum carminum poetae Ovidium secuti sunt, dicendum videtur de toto genere imitationis. Etenim eam viam ingressi sunt imitatores, ut ex veterum libris aut locos quosdam qui ob oculos versabantur verbis paululum inmutatis in suum usum converterent, aut nihil nisi rem ipsam propriis verbis expressam adhiberent, aut denique totos versus in quibus nihil mutassent suis admiserent. Nimirum qui parasitari aut parochorum monasteriorumve copias diripere non dubitabant, quosque ut Juvenalis verbo utar et ipsis satis noto, non pudebat aliena vivere quadra,¹²⁾ minime veterum scripta furantes pro suis praedicare verebantur. Eodem fere modo alii cantica ecclesiastica ad profana carmina conformaverunt¹³⁾ veluti ex illo in virginem sanctam hymno: „Verbum bonum et suave“ celeberrimum evasit canticum: „Vinum bonum et suave.“ Neque aliter illud „gaudeamus igitur“ revocatur ad severum quoddam et triste de contemnendo mundo carmine.^{13a)} Quod, etsi forsitan non sit quod miremur in iis quae aut incerto aut sine auctore ferebantur, non minus in

7) Bernhard ten Brink, Geschichte der engl. Literatur, Berlin 1877, I, p. 228: „Nicht nur Vergil und Statius wurden in französische Sprache umgesetzt; vor Allen erfreute sich Ovid, der Dichter der feinen römischen Gesellschaft des Beifalls jener höfischen Zeit. Schon Crestien von Troies übertrug — wahrscheinlich im Anfang seiner Laufbahn — die *ars amandi* und die *remedia amoris* sowie manche Mythen aus den *Metamorphosen*, und seinem Beispiele ahmten in der Folge viele nach.“

8) Th. Whrigt: the Latin poems commonly attributed to Walther Mapes. London 1841.

9) Egregie id demonstratur duobus carminibus a Wattenbachio editis (Archiv f. ältere deutsche Geschichte 10. p. 626—628 cf. Büdinger: Sitzgsbr. der k. Akademie der Wissenschaften, Wien XIII p. 319) ubi inducitur Naso papa, cuius verbis turpissima praecepta dantur velut „quod mulier plures possit habere viros.“

10) K. Bartsch l. l.

11) Bartsch l. l. p. VIII.

12) Juven. sat. V, 2. cf. privilegium exemptionis anni 1209, in: Archiv f. d. Kunde öster. Geschichts-Qu. 1851. I. p. 317.

13) Hubatsch, Die lateinischen Vagantenlieder des Mittelalters, Görlitz 1870, p. 29 sqq.

13 a) cuius initium: „Scribere proposui de contemptu mundano.“

nobilissimis eius aetatis poetis potest deprehendi. Gualtherus quidem de insula, quo nemo tum temporis clarior fuit poeta, qui Vergili titulum secutus magnifice de se ipse dixit hoc disticho Alexandreidi praetexto :

Insula me genuit, rapuit Castellio nomen

Perstreput modulis Gallia tota meis,¹⁴⁾

is igitur multa e veteribus poetis subripuit totisque eorum versibus se locupletavit.¹⁵⁾ Idque non fecit metrice pangens carmina verum rythmice, ut inter eius modulos in iustum subinde incidas hexametrum. Sed in subreptis iis et versibus et rebus id quoque notabile visum est quod iidem versus eaedemque ὄμοιότητες in variis carminibus a nobis reperta sunt. In poemate Gualtheriano quod est de statibus mundi¹⁶⁾ legitur v. 48: fallit enim vitium specie virtutis, ex Juvenalis sat. XIV, 109 petitum. Idem habes in carminibus Buranis p. 3. II a. 4, 1. sed desribentis vel audientis incuria mendosum: fallit enim vitium speciem virtutis et umbra, quod mutandum est in: fallit enim vitium specie virtutis et umbra. Idem tertium obvium fit C. B. p. 42, LXXI, 6, 8: fallit enim vitium Speciem (specie corr. Schm.) virtutis. Alius Juvenalis versus: Rara avis in terris nigroque simillima cyano (sat. VI, 165) in eodem Gualtheri poemate adhibetur, idemque in C. B. tangitur p. 77. CXCIX, 4, 1. Deinde in poemate super statibus ecclesiasticarum personarum¹⁷⁾ versus 28 ex Juven. sat. II, 10 petitus est: Inter Socraticos notissima fossa cinaedos. Qui haud scio an respectus sit in C. B. CXCIX p. 78, 9, 5. Possunt etiam alia proponi exempla.¹⁸⁾ Itaque cum non ignoraremus medio aevo centones quosdam ex clarissimorum poetarum versibus exstitisse concinnatos^{18b)} unde commodum caperent monachi et scolares et clerici maximum, putavimus primum eam similitudinem inde originem duxisse, quod non ex illa erudita Romanorum copia hausissent poetae sed ex conlecticiis illis medii aevi opusculis. Verum cum per se minus verisimile id est tum vero etiam propterea vix credibile quia, ut in primo quod commemoravimus exemplo, poeta interdum auctore ipso, id quod ex orationis cursu cognoscas, usus est, non ille quidem Burani carminis poeta verum Gualtherus.

14) v. Giesebricht, Die Vaganten oder Goliarden und ihre Lieder. Allgem. Zeitschr. f. Wissensch. und Literatur 1853. p. 369 adn. 4.

15) vide Müldener l. 1.

16) Wright, the Lat. poems cet. p. 152; Du Méril, poesies populaires latines du moyen âge p. 155; Müldener p. 7.

17) Wright p. 153; Müldener p. 12.

18) cf. et has similitudines: Gualth. Apocalyps. 242 cum C. B. p. 78, CXCIX, 8, 8, et p. 65, CLXX, 2, 8, cl. Horat. epist. II, 3, 238. Praeterea Gualther. IX, 115 cum C. B. p. 74, CXCII, 4, 7 cl. Hor. epist. I, 10, 24. — 18 b) cf. J. Huemer, zur Geschichte der klassischen Studien im Mittelalter. Zeitschr. f. d. österr. Gymn. 1881, p. 415, ibi ex codice quodam saeculi XII. commemorantur: „Flores excerpti de diversis poetis.“ Cuius congerie auctor haec dicit: „Quasdam sententias memoria dignas repperi et quasi preciosas flosculos de medio spinarum eripui.“ —

Videtur igitur restare ut quae carmina eosdem respiciant versus iisdem attribuantur poetis. Et in vagorum carminibus nonnulla esse, quae aut ad Gualtherum de insula aut ad archipoetam denique ad certum quendam referenda sint poetam, iam J. Grimm et Giesebrécht sunt arbitrati. Qui viri doctissimi id iudicium aliis de causis tulerunt. Verum hic maxime in artores est atque ea quae vix sit enodanda. Nam primum quidem id certe constat non unum esse Buranorum carminum poetam sed plures.¹⁹⁾ Nam ut nihil dicamus de aliis rebus velut de orationis varietate, qui carminum artifex fingi debet, cum ipse se inmiscet, modo is cogitandus est qui iuvenili impetu feratur, modo decrepitus senex (p. 166, 78) qui senectutis incommoda queratur (p. 151, 60, 2).²⁰⁾

Deinde vero haud dubie unum alterumve ex Buranis carminibus ab archipoeta factum est ut nobilis illa Goliae confessio (p. 67). Sed certi quidquam ultra statuere non licet. Verum tamen Giesebrécht²¹⁾ praestans Waltheri cuiusdam canticum p. 49. LXXXVI, Versa est in luctum cythara Waltheri, isti de insula Gualthero attribuit, qui et ipse extra gregem cleri electus esse dicatur (quamquam doctissimus vir ipse non firmum putat id argumentum), atque praeterea alterum p. 74 CXCIV sepe de miseria Meae paupertatis Conqueror ab eodem poeta profectum esse opinatur. Quod cum versus contineat qui archipoetae sunt,²²⁾ huic nomen Gualthero fuisse efficit. Idem autem iam antea J. Grimm tulit iudicium. Verum enimvero haec omnia incerta fient et fluxa ubi reputaveris, quanto opere eiusmodi carmina transmutata sint, quam singuli versus hinc illuc transierint, quam non iustus eorum auctor reperiri possit, ut saepenumero primam originem quaerendo defatigatus cum Horatio possis exclamare: „Quo teneam voltus mutantem Protea nodo!“ Attulit exempla Hubatsch²³⁾ ex quibus efficitur quam instabili textu illa carmina circumlata sint. Apponamus alia unde quemadmodum ea transformaverint aut inmutaverint vagi optime cognoscatur. Quod canticum legitur in C. B. p. 229 (167) Sic mea fata canendo solor in quodam Parisino codice²⁴⁾ item reperitur. Utriusque verba iam inter se comparentur.

Ex codice Parisino:

1.

Sic mea fata canendo solor,
ut nece proxima facit olor;
blandus haeret meo corde dolor,

Ex carminibus Buranis:

1.

Sic mea fata canendo solor,
ut nece proxima facit olor.
Roseus effugit ore color,

19) Unius carminis (CCI: Pange vox Adonis p. 79) auctor est Conrad Marner. Du Méril p. 220. 1.

20) Mutilatum hoc canticum: „Amor tenet omnia“ a R. Peipero, (Gaudeamus! Carmina vagorum selecta. Lips. Teub. 1879. p. 91) egregie emendatum est.

21) I. l. p. 372 sq.

22) reperiuntur autem in quarto (archipoetae) carmine apud J. Grimmium l. l.

23) p. 33—36.

24) Bibliotheca reg. n. 3719 saec. XIII, Fol. 88. Du Méril l. l.

roseus effugit ore color,
cura crescente,
moerore vigente,
vigore labente,
miser morior
tam male pectora multat amor;
ah! morior; ah! morior; ah! morior
dum quod amem cogor et non amor.

2.

Felicitate Jovem supero
si me dignetur quam desidero,
si sua labra semel novero,
una cum illa si dormiero,
mortem subire
placenter obire
vitamque finire
statim potero,
tanta si gaudia non rupero;
ah! potero; ah! potero; ah! potero,
prima si gaudia concepero.

Deinde quod legitur in C. B. p. 185, 108 pannis consutum est ex alio illius eiusdem Parisini codicis ablatis, uti haec docent:

Ex carmine Burano:

1, 8 iubente natura
philomena queritur
antiqua de iactura.²⁶⁾

3, 2 sq. nitet²⁷⁾ terrae facies
vario colore
3, 4 et in partum solvitur²⁸⁾
(sc. terra.)

Id autem quod in prima stropha volucres varios cantus edere dicuntur iis verbis quae sunt propria de volucrum cantu dicentium adhibitis, ex ludo paschali Werinhero attributo petitum est, ubi viginti alites suo quiske more querentes nominantur. —

Tum haec cuiusdam carminis stropha: Bibit hera, bibit herus cet. (C. B. p. 236) facta est secundum Canonheri „de admirandis

blandus inest meo cordi dolor.

Cura crescente,
labore vigente,
vigore labente,
miser morior.

Hei morior, hei morior, hei morior!
dum quod amem cogor, sed non amor.

2.

Si me dignetur quam desidero,
felicitate Jovem supero.

Nocte cum illa si dormiero,
si sua labra semel suxero,
mortem subire,
placenter obire,
vitamque finire
libens potero,

hei potero, hei potero, hei potero
tanta si gaudia recepero.

(Sequitur in C. B. tertia stropha.)

Ex carmine codicis Parisini :²⁵⁾

v. 28 sqq. Philomena Terea dum menon desinit — [minit sic imperat natura — recenter conqueri de vetere iactura.

14 sq. ridet terrae facies
multiplici colore.
4, et in partum solvitur.

25) Du Méril p. 232.

26) cf. C. B. p. 148, 3, 6 iacturam suam meminit sc. philomena.

27) Schmeller, in cod. enim 'nitet' abest. fortasse autem legendum 'ridet'.

28) cf. C. B. p. 148, 55, 1, 5 „in partum inde solvitur“ (sc. tellus).

vini virtutibus“ p. 501²⁹⁾): *Quicumque vult esse frater bibat bis ter et quater, cet.* — Denique etiam celeberrimum illud: *Meum est propositum In taberna mori* (p. 69, 12) effectum est ad initium carminis contra studia ecclesiastica scripti, Roberto Bastonio attributi.³⁰⁾

Ovidius, ut ad cum redeat oratio, in carminibus Buranis compluribus locis nominatur: p. 69, 16 *Nasonem post calicem praeibo.* p. 221 extr: *Artes amatoriae A Nasone traditae.* p. 222: *Naso . . . ab errore studuit Mundum revocare.* p. 251, 190, 2: *Nasonis carmina.* — Fabulas quae ex Ovidi poematis petitae videntur, licet obiter dumtaxat perstringantur, iam indicavit Bartsch.³¹⁾ Hae sunt: *Adonis* p. 128, *Amor* p. 164, 192, *Hercules* p. 125 sqq., *Hippolytus* p. 210, *Hymen*, *Thetis*, *Ceres*, *Proserpina* p. 116, *Morpheus* p. 125, *Narcissus* p. 117, *olor canens* p. 217, 229, *Orpheus* p. 117, *Phoenix* p. 77, 175, *Procne et Philomela* p. 117, *Pyramus et Thisbe* p. 132, *Scylla* p. 16, *Sirenes* p. 16, *Thetis* p. 17, *Venus Cupido Amor* p. 145 et passim. Accedunt a Bartschio praetermissae: *Saturnus* (aurea aetas) p. 77, **CXCIX**, 2, 7. *Tiresias* (significatur femineus eius sexus) p. 75, 12 (Ov. met. III. 323 sqq.). *Gorgo* p. 75, 12. *Pierides* p. 121, 36, 1, 3. *Phoebus et Daphne*, *Europa et Jupiter* p. 190. *Cupidinis tela* p. 223, 1, 5.³²⁾. *Cephalus* (met. VII. 661 sqq.) et *Aurora* p. 152, 6, 11, 1, ubi Peiper vidit ‘*Zephyrus*’ mutandum esse in ‘*Cephalus*’ (*Gaudeamus* p. 223). —

Ex Ovidi operibus ars amatoria nominatim dicitur p. 221.³³⁾ — Denique Ovidium secutus vagus quidam amicae suae nomen indit *Corinnae* p. 219.

Loci, qui ex Ovidi libris repetiti videntur hi sunt:

- a) *Loci, quos aut ad verbum mutuatus est poeta, aut paululum inmutavit:*
p. 20, XIX, 13: *non est mihi tanti* = met. VI. 386 (Grimm l. l. p. 98) cl. a. a. III, 505: „*non es mihi tibia tanti.*“

29) Du Méril p. 202 adn. 2.

30) Du Méril p. 205 adn. 1. — Quod attinet ad illum Gualtherum, id certe constat inter Buranorum carminum conditores quendam Waltherum fuisse. Nec vero eum Gualtherum de insula fuisse crediderim, iam ideo quod poetae nomen in carmine LXXXVI. Germanica non Gallica forma scriptum est. Praeterea archipoeta et Gualtherus de insula non debent confundi, quia Germanica archipoetae origo vix potest in dubitationem vocari. cf. Hubatsch p. 90. Walther Map autem nullo numero esse potest, qui neque confessionem neque ceteras contra curiam factas satiras scripsisset, si quidem Giraldo Cambrensi fidem habere licet. Is enim scriptor, cuius tandem opera edita sunt ab J. S. Brewero, (Rerum Britannicarum scriptores medii aevi. XXI Londini 1873) in speculo ecclesiae IV, 16 non Mapium auctorem vocat sed parasitum quendam Goliam, gulositate pariter et leccacitate famosissimum, qui in papam et curiam Romanam carmina famosa non minus impudenter quam imprudenter evomuerit.

31) l. l. p. III et p. LVII—CCLVIII.

32) „*fixus sum aureo (sc. iaculo), Figitur plumbeo Florens virguncula.*“ Qui versus ad ea pertinent, quae de Cupidinis telis ab Ovidio met. I, 468 sqq. exponuntur, quorum alterum fulgenti cuspide amorem facere, alterum plumbeo fugare fingitur.

33) Bartsch p. III.

- p. 26, XXIII, 4, 5: *Nitimus in vetitum* = am. III, 4, 17: *Nitimus in vetitum semper cupimusque negata* (cl. p. 124, 5, 5. *feror in vetitum*).
- p. 47, LXXVI a, 2: *Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat, Et manet in nullo certa tenaxque loco; Sed modo laeta manet, modo vultus sumit acerbos, Et tantum constans in levitate manet.* = trist. V. 8, 15—18, ubi tamen ‘*vultus modo*’ pro ‘*modo vultus*’ et ‘*sua est*’ pro ‘*manet*’ legitur.
- p. 209, 137b: *Non est in medico semper, relevetur ut eger, Interdum docta plus valet arte manus.* = ex Ponto I, 3, 16 sq. Unde apparet pro corrupto verbo ‘*manus*’ scriendum esse ‘*malum*.’ Illud haud scio an e praecedenti elegiae versu originem traxerit: „*Horrent admotas vulnera cruda manus.*“ Ceterum verisimile est alterum quoque in B. C. distichon: *Vim fidei menti facundia dat sapienti, Cum resonat plene facundia vocis amoenae;* non sine aliquo priorum Ovidi versuum respectu confectum esse. Nam 3, 11 sq. legitur: „*Non tamen exhibuit tantas facundia vires Ut mea sint dictis pectora sana tuis*“, licet diversa utrimque efficiantur.
- p. 222, 156, 8, 7: *qui sibi notus erit, docuit sapienter amare* = a. a. II, 501: „*qui sibi notus erit, solus sapienter amabit*“ (iam a Bartschio p. III. investigatum).
- p. 222, 156, 9, 7: *Praecipue Cytherea iubet sua sacra taceri* = a. a. II, 607.
- p. 222, 156, 10, 7: *Eheu nocturnis titulos imponimus actis* = a. a. II, 625, ubi „*At nunc*“ pro „*Eheu*“. Ceterum quaecumque nona huius carminis (156) stropha et decima expressa sunt, omnia ex arte amatoria II, 607—634 petita sunt.
b) *Loci verborum similitudine conspicui:*
- p. 75. CXCIV, 9, 5: *In nova (sc. vestimenta) fert animus Dicere mutata Vetera,* = met. I, 1 (Bartsch p. CCXLVII).
- p. 125, 6, 1: *fronde sub arboris, crebrum versuum Ovid. principium*: am. III, 5, 8 (cf. Du Méril, poes. pop. l. du moy. âge p. 233.)
- p. 128, 2, 9: *Dione nudula, amor. I, 14, 33 „nuda Dione“*, ubi item *Dione pro Venere est.*
- p. 130, 3, 13: *siderea luce, met. II, 169 „siderea qui temperat omnia luce“.*
- p. 136, 6: *Si quis amans, saepissime his verbis incipiunt versus e. g.* a. a. I, 747; rem. am. 13; am. II, 17, 1; cet.
- p. 136, 3, 2: *Dryadum chorea, met. VIII, 746 „Dryades festas duxere choreas“.*
- p. 145, 4, 4: *osculum si sumat, am. II, 6, 53; a. a. I, 669; elocutio vix alibi usitata.*

p. 149, 5, 4: Danaes pluens antrum, mutandum haud dubie in „Danaes pluens aurum“, [id quod etiam simili insequentis versus exitu (taurum) requiritur]: Ov. met. IV, 611 „pluvio Danae conceperat auro“.

p. 164, 70, 7: Silenus titubat, Ov. met. XI, 90.

p. 222, 9, 1: Veneris mysteria Iam non occultantur Cistis, a. a. II, 609 „Condita si non sunt Veneris mysteria cistis“.

p. 222, 10, 6: corporibus non tactis, a. a. II, 634 „Famaque non tacto corpore crimen habet.“

Praeterea ex libris ad amores pertinentibus ductus est frequens verbi „ocelli“ usus, quo ille libentissime uti solet.

c) Sententiarum rerumque similitudines:

p. 65, CLXX a: Si fueris dives multorum

laude frueris

at neglectus eris si copia nulla sit

aeris.

} cf. Ov. trist. I, 9, 5.

p. 115, 31, 2: Decet iocundari Quos militare contigit
Dioneo lari; et

p. 166, 79, 2: Militemus Veneri Nos qui sumus teneri; et

p. 184. 107, 3: Ergo militemus Simul Veneri; Hi loci pertinent ad illam Ovidi elegiam qua Amori deditus comparatnr cum milite: am. I, 9: „Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido;“ quamquam conferri possunt etiam Hor. carm. III, 26, 2 „militavi non sine gloria“; carm. IV, 1, 1, Tibul. I, 1, 76 „Hic ego dux milesque bonus;“ aliaque.

p. 130, 5, 6: rosam maritans lilio, am. II, 5, 37 „quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae“.

p. 144, 30, 1 sq.: Quis ignorat a modo Cuncta quæ sequuntur? ut e sententiarum nexu apparent factum secundum am. I, 4, 25 „Cetera quis nescit“.

p. 192, 116 b: puer pharetratus, met. X. 525. —

Sequuntur iam loci Horatiani. Qui poeta, id quod ex ingenti codicum manu scriptorum numero conligas, et ipse studiosissime tum temporis legebatur. Tamen eius nomen in B. C. nullo loco commemoratur.

a.)

p. 3, II a, 3: Virtus est medium vitiorum utrumque redactum, = Hor. epist. I, 18, 9. Itaque legendum est „reductum.“

p. 3, II a, 4: Dum stultus vitat vitia, in contraria currunt.³⁴⁾ = sat. I, 2, 24: „Dum vitant stulti vitia in contraria currunt“.

p. 5, VI a, 6: Discit enim citius meminitque libentius illud

Quod quis deridet, quam quod probat et venit apte.
= epist. II. 1, 262 sq. ubi pro ‘venit apte’ ‘veneratur’.

34) cf. p. 42, 6, 5 „dum quaerunt medium, Vergunt in contrarium“.

- p. 10, XII, 1: Non te lusisse pudeat, Sed ludum non incideret = epist. I, 14, 36: „Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum“.

p. 45, LXXIV a, 2—5: Invidus alterius rebus macrescit opimis.

Invidia siculi non inveneret tyranni maius tormentum. Qui non moderabitur iræ, infectum volet esse, dolor quod suaserat aut mens. = epist. I, 2, 57—60 ubi 57 ‘macrescit rebus’ et 60 ‘suaserit et’.

p. 137, 1, 2, dulce est desipere, = carm. IV, 12, 28.
b.)

p. 3, II a, 1: Est modus in verbis, sat. I, 1, 106, „Est modus in rebus“.

p. 41, LXXI, 1, 3: Fungar tamen vice cotis, epist. II, 3, 304 „ergo fungar vice cotis“.

p. 52, XCIV, 3: iam etiam si fores Orpheus Quem Pluto tartareus audivit deus Non ideo perores, carm. 1, 24 13 „Quid si blandius Orpheo, Moderere fidem“ cet.

p. 65, CLXX, 2, 8: a quo nil emungitur,³⁵⁾ epist. II, 3, 238 „Pythias emuncto lucrata Simone talentum“.³⁶⁾

p. 68, CLXXII, 5, 8: curam gero cutis: epist. I, 2, 29 „in cute curanda“ epist. I, 4, 15: „me ... bene curata cute vises“.

p. 115, 31, 2: procul sint iam tristia, carm. III, 8, 15 „procul omnis esto Clamor et ira“.

p. 115, 5, 1: parce puer puerō, carm. IV, 1, 2 „parce precor, precor.“

p. 115, 5, 9: nunc tuo iuri cedo, epist. II, 2, 174: „cedat in altera iura“.

p. 131, 5, 4: scindit nubem omnium curarum, carm. IV, 4, 22: „pleiadum choro Scidente nubis.“

p. 138, 1, 7: plenū ferens loculum Ad sinistrum latus, sat. I, 6, 74: „laevo suspensi loculos lacerti“.

p. 145, 33, 3: Non sine laboribus Maxima parantur, sat. I, 9, 59: „Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus“.

p. 151, 60,³⁷⁾ 2, 6: Væ senectus Tibi sunt incommoda, epist. II, 3, 169: „multa senem circumveniunt incommoda.“

p. 166, 4, 2: vivere beatum, saepe apud Horatium; sat. I, 1, 117; 3, 142; II, 6, 96; epist. I, 2, 10.

p. 209, 137, 1, 5: quassas rate,³⁸⁾ carm. I, 1, 17: „reficit quassas rates“; cl. carm. IV, 8, 32.

Denique inter hunc versum: Sperne lucrum, versat mentes

Denique inter hunc versum: Sperne lucrum, versat mentes
insana cupido (p. 248, 187, 1) et Horatianum illud sat. II, 3, 248

35) cf. p. 78, CXCIX, 8, 8 „Pamphilum dupliciter Sic Thais emungit“.

36) cf. Apocal. Gualtheri de insula 242 „mille denarios emuncto paupere“.

37) v. adn. 20.

38) cf. p. 34, XXIX, 1, 9 „Quassamque naviculam . . . salvavit“.

„ludere par impar.... Siquid delectet barbatum, amentia verset“ similitudo quaedam intercedit. — Ab Horati carminibus originem accepit „duellum“ (p. 131, 41, 5, 7 et 6, 1). Is enim fere solus hac prisca forma utitur: epist. I, 2, 7; II, 1, 254; 2, 98; carm. III, 5, 38; 14, 18; IV, 15, 8. c.)

p. 68, CLXXII, 16, 5 sq.: *Nihil valent penitus Quae ieunus scribo, et*

p. 68, CLXXII, 18, 3 sq.: *Ego nunquam potui Scribere ieium, epist. I, 19, 2: „Nulla placere diu nec vivere carmina possunt Quae scribuntur aquae potoribus.“*

p. 73, CXCII, 4, 7: *Natura vim non patitur, epist. I, 10, 24.*
„Naturam expellas furca tamen usque recurret.“

p. 169, 82 a: *Semper ad omne quod est mensuram ponere prodest,³⁹⁾ sat. I, 1, 106: „Est modus in rebus“ cet. —*

Nunc de Vergilianis studiis dicendum videtur. Hic poeta, cuius nomen in C. B. nusquam invenitur,⁴⁰⁾ aeque ac superiores legebatur. Toti autem versus ex eius carminibus sumpti sunt nulli. Iam ad singula progrediamur.

b.)

p. 15, XVII, 8. 5: *ut apri frendentes Exacuere dentes,*
georg. III, 255 dentes Sabellicus exacuit sus.

p. 56, CXLIX: *De excidio Trojae item de Aenea et Didone. Hoc carmen totum factum est secundum Vergilium:*

4, 1: *Ecce quam forti pectore, Aen. IV, 11: „quam forti pectore et armis“.*

5. 8: *hui cuni me fors an iungere (cod: ludere) Possem,*
Aen. IV, 19: „Huic uni fors an potui succumbere culpae“.

5, 8 sq. *At me prius perdere Velit Jupiter Turpiter Fulmine De culmine Deiectam Carthaginis, Quam...,*
Aen. IV, 24 sq: „Sed.... optem prius..... Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras.... antequam“ cet.

6, 1: *Anna refert = Aen. IV, 31.*

7, 1: *His accensa Phoenissa, Aen. IV, 54: „His dictis incensum animum inflammavit amore“.*

Denique sicuti in Vergili Aeneide, Anna soror Didonis amorem confirmat.

p. 57, CL, 8, 3: *Iam volant carbasa Aura finitima, Aen. IV,*
417: „vocat iam carbasus auras“.

p. 59, CLI, 2, 4: *Cyclopum sanies, ex Aen. III, 618.*

p. 119, 35, 2, 2 sq: *Est bilis amarissima Qualem gignit Sardonias, ecl. VII, 41 „Immo ego Sardoniis videar tibi amrior herbis“.*

39) idem p. 3, II a, 2.

40) at contra in aliis eiusmodi carminibus e. g. in IV. archipoetae 4, 3 et 5, 4, apud J. Grimmium l. l. p. 57.

- p. 133, 6, 6: *Stilbontis more Letheo rore Argum, sopore Premam*, Aen. V, 854: „Ecce deus ramum Lethaeo rore madentem Vique soporatum Stygia super utraque quassat Tempora“.
- p. 132, 43, 1, 21: *Audaces fortuna iuvat*, Aen. X, 284 „Audentes fortuna iuvat“. (col. Ovid. a. a. I. 608 „audentem forsque Venusque iuvant“).
- p. 181, 103, 1: *gremium (sc. terrae).... Quod gelu triste clauserat*, georg. II, 317: „rura gelu tum claudit hiemps“.
- p. 181, 103, 1, 7: *Spirans boreas*, georg. II, 316 „Borea spirante“.
- p. 181, 103, 4, 1: *Fronde nemus induitur*, georg. I. 186: „cum se nux induet in florem“ cl. Ov. met. VII, 280: (ramus).... frondes induit.
- p. 181, 103, 5, 9: *Cum tunc circum praecordia Iam hyems erit vere*, georg. II, 484 „sin.... Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis“.
- p. 184, 107, 1: *Iamiam rident prata*
3: *terrae ridet facies*, verbo ridendi hac vi subiecta praecipue utitur Vergilius: ecl. VII, 55 „omnia nunc rident“; IV, 20 (tellus) „mixtaque ridenti colocasia fundet acantho“.⁴¹⁾
- p. 185, 108, 4, 1: *Late pandit tilia*, Aen. VI, 282 „ramos anno saque bracchia pandens“.⁴²⁾
- p. 186, 109, 1: *Tellus flore vario vestitur*, consimiliter Vergilius fere solus ista voce utitur, georg. II, 219 (terra) „viridis se gramine vestit“.
- p. 193, 118, 1, 11 *avium concentus* georg. I, 422 „hinc ille avium concentus in agris“.
- p. 194, 118, 5 *Phyllis*, nomen amatae puellae secundum Vergili bu colica III, 76; V, 10; VII, 14 cet.
- p. 240, 178 a, 7 *vinclatenacia*, georg. IV, 412.

Praecipue igitur in veris aestatisque laudibus Vergili Georgica et Bucolica adhibita sunt, utpote quae miro quodam naturae amoenitatum sensu ferantur.

Sequitur ut de Iuvenalis satiris agamus. Quae, quoniam in simili saepe contentionum ratione versabantur vagi, cum diligentia ab iis evolutae sunt. Ex quo enim illi maximam capiebant laetitiam, ii praesertim qui altius ad surgebant poesi, corruptis ecclesiasticorum hominum factis moribusque castigandis, id egregie sustentabatur Horati, Juvenalis, Persi satiris. Quamquam Iuvenalis in primis autem Persi obscuritas impedimento erat, quo minus eorum scripta tam excuterentur quam quis exspectaret.

a.)

- p. 3, II a, 4, 1: *fallit enim vitium speciem virtutis in umbra*, hic versus multum recedit a genuina forma⁴³⁾;: sat. XIV, 109 „fallit enim vitium specie virtutis et umbra“.

41) cf. Ovid. met. XV, 204. „florum coloribus ridet (?) (ludit) ? ager“.

42) sic Wagner, Haupt, Schaper pro ‘tendens’.

43) rectius p. 42, LXXI, 6, 8 „fallit enim vitium Specie virtutis“.

p. 65, CLXXI, 4: Quid Romae faciam? Mentiri nescio, =
sat. III, 41.

b.)

p. 3, II, 5, 8: Codro codrior, secundum Iuv. sat. III, 203, ubi Co-
drus instar hominis egentis est.⁴⁴⁾ Ceterum res in obscuro est.

p. 18, XVIII, 18, 5: Donec omnes sint privati.... Tunc nu-
dati viatores cantant coram foribus, sat. X, 22 „Can-
tabit vacuus coram latrone viator“.

p. 45. LXXV. In hoc de vicissitudine fortunae carmine condendo septimam
Iuvenalis satiram adhibuit poeta. Nam et res, quae hic memorantur
passim in ea satira reperiuntur et 1, 8 (fortuna) de rhetore
consulem eligens pertinet ad sat. VII, 197 „Si fortuna volet
fies de rhetore consul, Si volet haec eadem fies de consule rhetor“.
In quarta autem stropha tractatur Iuvenalis illud (sat. X, 56): „Quos-
dam praecipitat subiecta potentia magnae Invidiae“. Inde ductum
est 4 2: Pompeio quid Roma tribuit? cf. Iuv. sat. X,
108 sq.: „Quid Crassos, quid Pompeios evertit? Summus nempe locus
nulla non arte petitus“.

p. 47 LXXVII, 1: stillantibus ocellis, sat. VI, 109 „acre ma-
lum semper stillantis ocelli“.

p. 77, CXCIX, 4, 1: Avem raram, nondum hanc potui vi-
dere, sat. VI, 165 „rara avis in terris nigroque simillima cyeno“;
sed hic de casta muliere illic de largo homine dictum. Ceterum iam
Persius sat. I, 46 „quando haec rara avis est“. Neque vero loci Ho-
ratiani (sat. II, 2, 26) ratio ducenda est, ubi non translatione utitur
poeta sed de veris avibus loquitur.

c.)

p. 65, CLXX a: Diligitur, colitur quem sors illuminat aere
Spernitur et premitur qui nulla videtur habere,
sat. III, 164 „Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res
angusta domi“.

p. 78, CXCIX, 9, 5: Ganimedicum pusionem fodit, cf. Iuv.
sat. II, 10, cl. Marti. VII, 102.

Sequuntur loci ex A. Persi Flacci satiris:

b.)

p. 65, CLXX, 1: O curas hominum,... O quorum studia Non
habent terminum! Pers. sat. I, 1. „O curas hominum! o quan-
tum est in rebus inane“.

44) Ne quis miretur obscuriorum hominem ita induci vel ex posterioribus temporibus
licet apponere exemplum. Legitur in celeberrimo Lesagii opere: Gil Blas de Santillane
XI, 10 „Il ne laisse pas se donner pour un Tarpa“, ubi Tarpa secundum Hor. sat. I, 10,
38 dicitur pro clarissimo artis operum existimatore. Et tamen iste Tarpa nisi a Horatio
eiusque scholiasta a nullo nominatur.

p. 66, CLXXI, 1, 1, 8: Si mordaci nitar vero, Vere nusquam carus ero, sat. I, 107: „Sed quid opus teneras mordaci radere vero Auriculas?“

p. 67, CLXXI, a: retro radentes (et coram blanda loquentes). ‘Radere’ pro ‘perstringere’ videtur poeta Persium auctorem secutus scripsisse. cf. sat. I, 107 et V, 15: „pallentes radere mores Doctus“.

p. 137, 48, 1, 3: carpamus dulcia, sat V, 151: „Indulge genio: carpamus dulcia“.

Dionysi Catonis, qui vocatur, ethice sive sententiarum liber sive disticha de moribus media aetate late divulgata erant. Nomen ipsum legitur p. 2, II, 2; p. 181, 103, 3 (vix enim hic M. Porcius Cato Censorius intellegendus est) p. 253, 195, 1.

a.)

p. 2, II, 2: Si legisse memoras Ethicam Catonis, In qua scriptum legitur: „Ambula cum bonis“, Dion. Cat. prolog. 6: „cum bonis ambula“.

p. 47, LXXVII, 1, 6: Fronte capillata, Sed plerumque sequitur Occasio calvata.⁴⁵⁾ Dion. Cat. II, 26 „Fronte capillata, post est occasio calva“. cf. Phaedr. Fab. V, 8.

p. 253, 195, 1: Cum animadverterem dicit Cato, Prolog. ad Cat. philosophi librum (rec. Havthal): „Cum animadverterem quam plurimos graviter in via morum errare, succurrendum existimavi cet.

Haec igitur sunt quae praecipue adnotavimus, quamquam non ii sumus qui unum alterumve locum nos fefellisse negemus. Sunt et alia veterum scripta haud dubie adhibita, sed quae proxima videbantur esse, Stati, Lucani, Valeri Flacci, Claudiani opera itemque posteriorum, Prudenti, Sidoni Apollinaris inquirentibus nobis nihil fere praebuerunt. Tamen singula quae-dam apponamus.

p. 136, 46, 3: Redivivis incitatur Hoc ignibus Napaea, Stat. Theb. IV, 255: „quas magno non impulit igne Napaeas?“ (sc. Parthenopaeus).

p. 147, 53, 4, 8, Amaris miscens dulcia, fortasse secundum Plaut. Pseudol. I, 1, 61 „dulce amarumque nunc misces mihi“.

p. 214, 143, 4, O si forem Mercurius, Philologiae sedulus, respicitur Martiani Capellae „de nuptiis Philologiae et Mercuri.“ Ceterum vereor ut quarta quintaque carminis stropha segregandae sint tamquam aliunde petitae.

p. 152, 61, 12, 3 fronesis (= Phronesis), mater est Philologiae apud Mart. Cap. II, 27 G. 114; hoc autem loco per eam litterarum studia significantur. (Peiper p. 223.)

p. 21, XIX, 17: quid irem per singula? secundum Quintil. inst. or. VI, 1, 12.

45) cf. p. 15, XVII, 7, 10 „haec occasio calva“.

